Et ad Ro: 7. quod erat ad vitam inventum est mihi esse ad mortem. Ad Ro: 2. qui in lege peccaverunt per legem iudicabuntur. Igitur qui gloriatur in lege tanquam sapiens et doctus gloriatur in confusione sua in maledicto suo, in ira dei, in morte. Ut Ro: 2. quid gloriaris in lege:

Conclusio vicesima quarta:

Non tamen sapientia illa mala est, nec lex fugienda, sed homo sine theologia crucis optimis pessime abutitur.

Quia lex sancta et omne donum dei bonum et omnis creatura bona valde, Gen: 1. Sed sicut supra dictum est qui nondum est destructus et ad nihilum redactus per crucem et passionem sibi tribuit opera et sapientiam, non autem deo et sic abutitur donis dei eaque polluit, qui vero est per passiones exinanitus Iam non operatur sed deum in se operari et omnia agere novit. Ideo sive operetur sive non